



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 68. Plures Beati Sanctorum Albo ab eodem Pontifice inscripti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. II. Laurentium Cozza Montis Falisci  
 A. C. 1726. Ministram Generalem FF. Minorum  
Observantium S. Francisci Presbyterum  
 Cardinalem tit. S. Mariæ de Ara-Cæli.

## §. LXVIII.

*Plures Beati Sanctorum Albo a Be-*  
*nedicto XIII. Papa inscripti.*

*Ribad. vit. Sanct. t. 21. pag. 212.*  
*Bulla Canoniz. Bull. magn. t. 10. pag. 269.*

Hoc item anno Benedictus Papa mortuos ac Sanctos, uti nuper promiserat, publico cultu honorabat; die enim trigesima prima Decembris plures Beatos Sanctorum fastis adscripsit. Hos inter primus erat Stanislaus Koska Nobilis Polonus, qui decimo tertio ætatis anno Viennam liberalibus disciplinis imbuendus mittebatur: Expleto unius anni studio clam Vienna Dilingam aufugit, ibidemque literis, quas juveni P. Antonius Jesuita dederat, ad P. Patrem Canisium tum Provincialem munitus advenit, a quo quidem ad Seminarium admissus, famulatus tamen domestici partes aliquamdiu explere jubebatur: Sæpius ardens suam Societatem ingrediendi desiderium predebat, nunquam tamen voti compos fieri poterat, suadente ergo eodem P. Antonio Romam ad S. Franciscum Borgiam tunc Societatis Generalem ire constituit, cui etiam idem P. Canisius



nifius perscripserat, hunc juvenem ob virtutum præstantiam omnino dignum esse, ut Societati aggregaretur. Hac commendatione permotus P. Generalis, rescripsit, Stanislaum admitti posse, Romæ S. habitu induendum: His literis Anno 1567. die vigesima octava Octobris Dilingam delatis, P. Canisius mox juvenem Romam pergere jussit, qui etiam Mense Novembri ad medium vergente ibidem appulit, moxque Borgia accessit, a quo perbenigne exceptus, inter Societatis tyrones adscriptus est, atque *in omnium Christianarum virtutum agone veteranum se Dei militem exhibuit*: Nondum vero expleto decimo tyrocinii anno assiduus afflicta- tus est morbis, ac tandem die decima quarta Augusti Anno 1568. animam suam Deo reddidit annos natus octo- decim: Ejus cubile, in quo æger de- cubuit, Romæ in Nosocomio ad S. Joan- nem Lateranensem in Sacellum fuit conversum, ac hodiedum ejus toga cubicularis ibidem religiose asservatur, Biennio post ejus Corpus a corruptione liberum, suavemque spirans odorem repertum est. Ferunt etiam, Sigis- mundo Polonorum Rege contra Tur- cas præliante, Stanislaum in aere sub- limem visum esse, indeque Polonorum animos ita erectos fuisse, ut plenam

Sæc. XVIII.  
A. C. 1726.



**Sæc. XVIII.** de immani hoste victoriam reportarent.  
**A. C. 1726.** His aliisque quamplurimis prodigiis rite probatis Paulus V. Stanislaum Beatorum numero adscripsit. Postmodum sanctitatis ejus fama latius ubique diffusa, auctoque miraculorum numero Benedictus XIII. Eundem inter Sanctos solemni ritu adnumeravit.

*Virg. Cep.  
 vit. S. Aloyf.*

Eodem hoc anno ac die idem Pontifex Beatum Aloysium ex eadem Societate Sanctorum Confessorum Canonice adscripsit. Hic vix annum ætatis decimum quintum egressus, in Societatem migrare constituit, quin aut Regum & Principum blanditiis, aut Parentum minis ab hoc proposito abstereri posset. Romæ igitur in tyrocinium cooptatus, votisque de more nuncupatis, ac demum primis Ordinibus initiatus mirum est, quanta verecundia, humilitate, paupertatis studio, sui contemptu, ac præcipue morum innocentia sese toti Urbi admirandum exhibuerit: Ejus quoque Sanctitatem diferto præconio vulgavit in mentis excessu Sancta Magdalena de Pazzis Virgo Carmelitana. Tandem Aloysius mortis suæ præscius nocte, quæ inter vigesimam primam & secundam Junii Anno 1591. intercedit, vitam hanc cum æterna commutavit, cum vixisset annos viginti tres; Paulopost Synodus



nodus Mantuana, & Christiani Principes, ut is in Beatorum numerum referretur, Paulum V. Pontificem exorabant: Ad quorum preces, ejus virtutibus & miraculis rite comprobatis, primum Beatis, ac demum hoc anno a Benedicto XIII. Sanctorum fastis adscriptus est.

Pari solemnitate idem Pontifex publicos Sanctorum Confessorum honores ac cultus decrevit B. Joanni a Cruce primo Parenti Carmelitarum Discalceatorum, qui anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Fontiberi in Hispania Parentibus quidem nobilibus. modicæ tamen fortunæ natus erat. Nondum quintum ætatis annum attigerat, cum forte in puteum delapsus, Beatæ Virginis Mariæ manu, cunctis, qui aderant, stupentibus, prodigiose sublatus, incolumis prodiret: Adolescens Metymnæ Campi in Nosocomio sese ægrotorum, ac pauperum famulatu addixit, & maxima charitate diu noctuque languentes solatus, non modo spiritualia, sed ne vilissima quidem officia in iis juvandis obire detrectavit. Quicquid interim temporis tam pio ministerio supererat, assiduis precibus, vigiliis, lacrimis & Dominicæ passioni religiose recolendæ impendebat, Deo vitæ sanctitatem

Sæc. XVIII.  
A. C. 1726.

*Bull. Canonis. S. Joan. a Cruce Vid. supra Hist. Eccl. cont. t. 51. p. 273.*



Sæc. XVIII. crebris favoribus ac miraculis compro-  
 bante. Divino quoque oraculo admo-  
 nitus Fratrum B. V. M. de monte Car-  
 melo institutum professus est, ac post-  
 ea purioris disciplinæ studio incitatus,  
 sanctæ Theresiæ se comitem atque Ad-  
 jutorem adjunxit, ut primæva Ordinis  
 observantia inter Sorores per præfatam  
 S. Virginem jamjam instaurata etiam  
 inter Fratres restitueretur. Ubi etiam  
 admiranda innocentia, assidua rerum  
 Divinarum contemplatione, asperrimo  
 vitæ rigore, doctrina cælitus commu-  
 nicata, miro in dæmones imperio sum-  
 misque virtutibus inclaruerat, suorum-  
 que corda in perfecto Dei cultu unde-  
 quaque firmaverat. Demum diro morbo  
 & in cruce quinque plagis patientissime  
 toleratis, ad illa Psalmi verba: *In manus*  
*tuas &c.* die & hora a se prædictis  
 Ubedæ Anno 1591. die decima quarta  
 Januarii annos natus quadraginta no-  
 vem purissimam efflavit animam: Vir  
 erat Deo percharus, dæmoni terribi-  
 lis, mentis innocentia, constantia in  
 adversis, miraculorum ac prophetiæ  
 dono per totam Hispaniam illustris,  
 inque mysticæ Theologiæ arcanis scri-  
 pto explicandis divinitus instructus,  
 unde jure *Doctor Mysticus* passim ap-  
 pellatur. Corpus ejus miro odore per-  
 fusum, omnisque corruptionis expers  
 Joan-



Joannem veluti placido somno sopitum Sæc. XVIII.  
 referbat: Virtutum autem & prodi- A. C. 1726.  
 giorum fama indies percrebescente  
 Alexander VII. hujus Viri gesta ma-  
 turo Cardinalium aliorumque judicio  
 commisit, quibus omnibus serio di-  
 scussis ac rite probatis, Clemens X.  
 Segobiæ ejus Corpus ex humili atque  
 antiquo tumulo extolli jussit, ubi om-  
 nino incorruptum, palpabile, mirifi-  
 cumque emittens odorem repertum est;  
 qua de causa idem Pontifex instituto  
 novo examine Venerabilem hunc Pa-  
 trem die vigesima prima Aprilis Anni  
 1675. Beatorum Catalogo adscripsit.  
 Novis dein miraculis jussu Innocentii XI.  
 undique conquisitis, & sæpius riteque  
 perpensis, ac unanimi omnium senten-  
 tia comprobatis Benedictus XIII. illum  
 ritu solemniter Sanctum esse definivit,  
 sacrasque ejus exuvias visitantibus pe-  
 culiaries concessit indulgentias.

Quartus inter eos, qui sacra Apo-  
 theosi in terris honorati sunt, erat Bea-  
 tus Franciscus Solanus Ordinis Fra-  
 trum Minorum de Observantia. Hic  
 Montilæ in Bætica piis parentibus or-  
 tus in sacram Fratrum Minorum fami-  
 liam adoptatus erat. In ea miris mul-  
 tisque severioris disciplinæ, & Chri-  
 stianæ humilitatis argumentis eluxit,  
 atque assiduæ poenitentiae exercitiis in-



Sæc XVIII. tentus, sacris Concionibus plurimos  
 A. C. 1726. Christo lucrificit. Præterea sæva lue  
 tabescentes mira charitate adjuvit, ac  
 tandem & ipse hac contagione infectus,  
 Deique ope sospes redditus, in hoc mi-  
 nisterio usque ad lethalis morbi finem  
 sese exercuit. Ut vero ejus sanctitatis  
 famam deprædicantibus sese subduce-  
 ret, martyrii pro Christo subeundi per-  
 cupidus in Africam trajicere statuit;  
 id tamen cum obtinere haud posset, ad  
 remotissimos Indos Verbum Dei præ-  
 dicaturus cum aliis contendit, ubi lin-  
 guam gentium divinitus edoctus Bar-  
 baros deposita feritate, in fidei Catho-  
 licæ præceptis instituit, & innumeram  
 eorum multitudinem sacro fonte rege-  
 neravit: Porro id præprimis mirum  
 erat, quod ipse plusquam trigésies mille  
 Barbaros, qui Christianis una congregatis  
 cruentam cædem allaturi advenerant,  
 solo Dei Verbo non modo inermes  
 reddiderit, sed etiam ignotæ, di-  
 versæque linguæ homines suo idiomate  
 allocutus pacem suaserit, & eorum  
 plusquam novem millia ad Christi fi-  
 dem converterit. Pari animarum pro-  
 ventu, velut alter Jonas, Limanis ex-  
 cidium Urbis comminatus, omnes in-  
 colas ad seriam pœnitentiam perduxit.  
 Tandem maximis pro Dei gloria labo-  
 ribus confectus, die decima quarta Julii  
 anno



anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo decimo in Cænobio Limano inter pia ad Deum suspiria animam exhalavit. Denique virtutibus ejus & miraculis a S. Sede probatis Clemens X. Solanum Anno 1675. die 24. Januarii Beatis, Benedictus vero hoc Anno die 27. Decembris Sanctis ritu solemniter adnumeravit.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1726.

Idem honores fuere delati Beato Peregrino Latiofo a Foro-Livii Ordinis FF. Servorum B. M. V. Hic anno a natiuitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto Foro-Livii in Æmilia natus, a teneris Deiparæ Virgini speciali studio addictus erat, corrupti tamen sæculi genio deceptus sese civilibus patriæ discordiis & seditionibus involvebat, eo temeritatis prolapsus, ut S. Philippum Benitium a Martino IV. Papa, qui eum ad Liviensem populum conciliandum, eo ablegabat, contumeliis & lapidibus impeteret, atque extra urbem ejectum alapa in faciem impacta percuteret. Verum hoc sancto Deum pro suis hostibus exorante, Peregrinus in viam salutis ab eodem revocatus, Regulæ Fratrum Servorum nomen dedit, novumque plane hominem indutus, diuturnis jejuniis, macerationibus Corpus suum afflixit, atque integros triginta annos nunquam sedens,



Sæc. XVIII.  
A. C. 1726.

fedens, sed duntaxat vel parieti vel saxo incumbens quiescere consuevit. Tandem post emensum in perfectissimo Dei famulatu octoginta annorum curriculum, meritis plenus, & sanctimonix laude inclytus die prima Maij Anno 1345. obdormivit in Domino. Eximiis dein virtutibus & prodigiis sub Paulo V. & Urbano VIII. ad Majorum sanctiones exacte discussis Beatorum Canoni adscriptus est; auctis vero miraculis Benedictus XIII. Eundem die vigesima secunda Decembris in Sanctorum Album retulit. Præter hos etiam Jacobum a Marchia Ord. FF. Minorum de Observantia, Agnetem a Monte Politiano Monialem Ord. Prædicatorum, & Thuribium Archiepiscopum Limanum Sanctorum, & Hyacintham Marefcotti Beatarum Cætui adscripsit.

§. LXIX.

*Concordia Papam inter & Sardinix Regem feliciter inita.*

*Guarnac.  
Hist. Pontif.  
t. 2. p. 418.  
Epist. Be-  
ned. XIII.  
ad Regem  
die 26. &  
1726.*

Jam anno priori retulimus, quanta sollicitudine Benedictus XIII. veterem, quæ Pontifices inter & Victorem Amædæum Sardinix Regem intercesferat, controversiam ad exitum deducere studuerit: nunc tandem de mutuis, quæ